

THEOREMA DE VI OPPO- SITARVM PROPOSITIONVM, SECTIO QVINTA. I.



Trum autem affirmatio negationi, an affirmatio est affirmationi contraria, orationi: orationi quæ omnem iustum esse pronunciat hominem, nullum hominem iustum perhibenti: an quæ omnem hominem iustum inquit omnem hominem iniustum asserenti: uerbi gratia utra ex hisce contraria est, Callias iustus est: non est iustus Callias: est Callias iniustus: Nam si quæ uoce explicatur, ipsæ quæ mente uoluntatem consequuntur sunt, contrarij uero in illis contraria est opinio, ut quæ omnem iustum esse hominem putat, omnem hominem iniustum esse sentit, necesse est in ipsa quoque affirmationibus quæ uoce proferuntur res sese perinde habeat. Quod si illi contrarij minus opinio contraria est, neque affirmatio affirmationi contraria, sed prodita erit negatio. Quæ de re considerandum est quæ aliam falsam opinionem ueræ contraria sit opinioni, utrum illa negationis, an quæ contrarium esse opinatur. Id autem ita intelligo, ueræ de bono est opinio quædam: bonum id esse: alia falsa non esse bonum: alia uero esse malum: utra ueræ contraria sit harum, atque si una sint, contrariam esse ad utram pertineat.



ABSOLUTA est quatuor libri capis, ut illorum præcepto, quæ inter initia enumerauimus: commentatioque de Interpretatione finit, ut mihi uidetur quem debuerat recipere. Nam quæ sequuntur, aut legitima non esse Aristoteli, sicut ipse, sed ab aliquo qui eo fuerit posterior addita: cum illud animaduertimus contraria sentire in libris suis omnibus uideri Philosophum ipsi quæ hoc loco dixerunt, aut ab eo quidem fuisse conscripta, uerum ut qui lectorem modo exercere ad rationes eas diuicandas quæ probabiliter quidem, non tamen uere dicerentur uoluerit: perindeque, faciat atque is qui non facile confutandas rationes tradidit quæ abolere motum uidentur. id quod, uel in Prædicamentis, cum de ad aliquid sese habentibus ageret, nouimus fecisse: ubi non simul omnino natura esse quæ, non ad aliquid asserere cõtendebat: sed sensibile prius sensu esse: & scientia scibile, cum tamen in secundo naturalis. Aulculatationis Theorema de coniuncta Relatiuorum substantia dilucide subtiliter, breuique simula oratione explicauerit. nobisque, illorum soluendorum anfas præbuerit quæ in Prædicamentis prodidisset, quæ causa Porphyrio quoque fuit opinor Philosopho, ut huius theorematism expositionem recusat. Quod si uel nobis gerendus est mos consuetudini, digna hæc, uel elaborata Aristoteli, sunt habenda quibus nonnulli curæ impendamus, institutum illi esse dicendum est theorema quoddam inspicere eius operis, quod in manibus est proposito cõsentaneum. Nam cum uera sit quædam affirmatio, ut iustus est Socrates dicitur, quæ falsæ refragentur propositiones, tum ipsius negatio Socrates iustus non est, tum quæ illi contrarium quod ab initio prædicatum est, de eodem affirmat subsistent, ut quæ Socrates iniustus est inquit, utra ex falsis dicens, da sit inquiri fortius ueræ repugnare: utrum negatione an affirmationi contrarij. Atque acerbior negationis aduersus affirmationem esse quàm affirmationis contrarij pugnam iudicat. Eodem pacto uel si falsa principalis affirmatio sit, quæ huius relucantur uerum decernat. Ideo factum quoque est, ut utrumque ipse, perinde quasi nihil referat, in problemate posuerit, modoque, qualis uera opinio falsæ opinioni aduersetur, modo utra ex falsis ueræ contraria sit, Idem de oppo-

sitione pronunciat uniuersalem quoque propositionem, quæ contrarias appellauimus. Proinde & necessarij propositum uidetur theorema suscitare: cum doceat non temere contrarias nos illas uocandas censuisse. Ac nunc quidem oppositum duntaxat earum quæ cõmenorauimus mentionem fecit. ad finem autem uniuersalem quoque oppositum ad particulares meminit, ut propositum sit in demonstratione, inficiationis pugnam cum affirmatione, tum contrariæ, in quibus contraria esse negatio potest affirmationi, tum in omnibus eius quæ illi cõtadit, maiore dissidio laborare, si cæteris contrariarum affirmationum differentiis conferatur. Iure autem neque impræstitus hoc loco, neque sub contrariis ab eo fuisse acceptas, suo loco deinceps ostendemus. Hæc igitur de his ipse hunc in modum statuit: fortasse eo respiciens quod inficiatione absolute in omnibus, & quæ sunt, & quæ non sunt capere, affirmationem, opponere nos bis liceat: non tamen in omnibus etiam contrarij sit affirmatio. Nam cum quod initio prædicatum est, a contrario nullo oppugnat, siue substantia sit id, siue quantum, siue ab aliis prædicamentis emanet, quæ non accipiant contrarietatem, tum, siue contrariorum etiam quorundam medium sit tunc, ut affirmationem inuenias contrarij fieri nequaquam posse compertum est. cum & oppositum quæ necessaria ad propositum cõmentationem uisa est, cõtadidioræ in qua, dignitate ante cæteras omnes compare alioqui uelit. At Syriani ille magnus optime subtilisfimeque, de hac quaestione arbitratus est, euidenterque admodum ostendit quo naturæ pacto res sese habeant, mutuique, discriminis, atque animi nostri cõmunes conceptus, ac sponte innatos consentientes ipsi esse affirmat, quæ uoce proferimus, & ipsum per se quodlibet argumentum in quaestione uocat: docetque articulare quid recte in ipsis, quid probabiliter, non tamen exquisitè tradatur: postremoque, omnium planè diuinum Platonem testem adducit, qui negationem inquit in Sophista diuersum quidem aliquid significare ab affirmatione: non tamen illi contrarium: propterea quoniam contrarium unum est, ut neque in iustum naturam esse, ut uni plures hostes comparet, à magni uero negatione, id quod traditur in Sophista, quia non magnum dicimus nihilo magis paruum quam æquale indicari. Quamobrem in sexto quoque, de Republica curam censet maiorem robustioribus naturis quàm exilioribus quo minus corrumpatur, debere, causamque huiusce asserti rei, Magis enim contrarium malum bono quàm non bono est inquit, id est reliquum eorum quæ à mali negatione significantur: quauis hoc tanquàm euidens omisimus: ipsumque, non bonum sit pro neque malo neque bono acceptum. Et uero perfectiori ipsius Aristoteli, traditioni parere nos iubet: qui in decimo Theologicæ tractationis disticiam affirmat contrarij plurimam esse a contrario: uerum non negationis ad affirmationem, cum ait. Quandoquidem uero plus ac minus differre inter se illa coniungit quæ differunt, est & differentia quædam maxima uocatur, hanc cõtarietatem: & quæ ab his deinceps addit, non logica magis, ut hoc loco præbatione utens, quo mentem, ut dictum est, nostram exerceat, sed in ipsis quæ sunt asserens rebus ceterarum maximam esse contrariorum differentiam, proinde perfectam esse eam, nihilque, habere quod cadere extra ipsius ambitum queat. Sic in prædicamentis quod quæ non iustum, & non iniustum, iusti esse, atque iusti quæ cõtaria sunt, spatioque inter se distant plurimum, medium dixit, id quod cæteris quoque contrariis subesse omnibus prodidit, si editam in Prædicamentorum tractatu definitionem illorum attendamus. In cõmentationibus item omnibus naturalibus contraria fieri ex contrariis censet, ut quæ mutuo plurimum distent, ac finita certaque sint. Quod si ex his quæ in medio sunt, fiant nonnunquam, quæque, simpliciter ab eis quod fit negatione, partim uero ab his quæ cõtarij affirmatione declarantur, ut album ex fulco, quod simpliciter non album, partim autem est nigrum, ex fieri ex illis dicit, non quod ab illis simpliciter ab eis quod fit negatione indicentur, sed quatenus contrario quodamtenus impertiantur, perinde quasi inficiatio non perfectam omnino ab affirmatione differentiam comprehendat. Proinde minime ab his dissenties

B **C** **D**